

TYPIS BRANDADORO

ROMAE 1858



PIENTISSIMO AC SERENISSIMO UTRISQUE
SICILIAE REGE FERDINANDO II
CUM UNIVERSO SUO POPULO.
INSTANTE

ANTE DOMINUM ET AGNUM ADSTANTUM
SEPTEMBER ARCEM REGIUM

IN HONOREM

OFFICII ET MISSAE
AD PROBATI ONIS

NEAPOLITANA

RELATORE PRAEFECTO ET PONENTE.

CARD. CONSTANTINO PATRIZI

EMO ET RMO DOMINO

SACRA RITUM CONGREGATIONE

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME

DOMINE

1 **X**tra omnis dubitationis aleam, et penes S. Hunc Forum laudabilissimo in more est positum ut quidquid Dei gloriam et cultum augere; quidquid Caelitum honorem splendoremque fovere; quidquid Christidolum pietatem devotionem, religionemque excitare; quidquid tandem catholicam Ecclesiam exornare valeat, hoc nedum libentissime permittatur, verum etiam sollicito curetur, maxime a Vobis AA. Patres qui utpote sapientia, prudentia et religione praestantissimi nec rebus, nec iis quae deribus vulgo opiniones habentur nullo pacto perturbamini.

2 Ex his omnibus originem duxere hodiernae utriusque Sicilliae Pientissimi ac Serenissimi Regis Ferdinandi II universi quoque sui Populi vota deprementis, supplices preces. Haec eadem me ad illas preces hodiernis hisce Committis ante vestros oculos pondas impulere, admodum erexere, mirifice confirmarunt, et in certam adduxere spem fore, ut preces eadem a Vobis benigne excipiantur. Nec mirum cuiquam esse debet si huiusmodi preces ab Rege Illo proficisci intelligat. Praeter enim quamquod insignem Eius pietatem et religionem praeseterant, populique sui vota portendant quibus impensa sollicitudine etiam in spiritualibus prospicit, necessitas quoque urgebat ut ex horto illo concluso, ex fonte illo benedictione caelesti signato qui tanto Rege summo opere gloriarur huiusmodi provenirent preces, ubi pro nostra hac Italia in septem Archangelos devotio ortum et incrementum habuit, tot tantisque beneficiis per Ipsos usque cumulatibus atque defensibus, et a quibus hisce nostris Inctuosissimis temporibus uberiores protectionem, et defensionem sperare significat.

3 Uti quisque in primis per se videt multa et doctissima pro themate adduci, enuclearique posse. At cum nec res exposulet, nec instituti ratio sinat, nec ulla urgeat necessitas, nec temporis patiantur angustiae, hinc pauca et opportuna duntaxat praelibare operae pretium existimavimus.

4 Dein haud diffiteor Patres AA. rem modo eo adductam fuisse ut non solum nobis nullum dubium de felici exitu, verum etiam nullam dubitationem vel trepidationem Vobis relinquat, sine quibus ingenue fateor me ultro libenterque honorificentissimo mihi commissio muneri nunciam remississe.

5

- 6 Et re quidem, vera cum in praesentiarum haud amplius, neque directe, neque indirecte agatur, vel de imponendis, vel de admittendis, vel de confirmandis nominibus ceteris Septem Archangelis de quibus in Sacris Literis nulla fit mentio, sed pure et simpliciter de honorandis omnibus septem Archangelis per appositum officium et Missam; hinc mihi mature perpendenti 1^o petitionis naturam. 2^o justitiam. 3^o convenientiam nulla difficultas subiit, quae ad annuendum Vos cohibere posset.
- 7 Nil profecto prohibet petitionis natura, quae nil novi, nil incongrui, nil conficti praesefert. Nulla sane dubitatio exoriri potest in primis circa Archangelorum numerum, quippe qui clarus, praecisus, et passim in SS. Scripturis legendus se offert. Et ut cetera sexcenta praetermittam loca, duo tantum notissima et clarissima in medium proferam. *Tob. 12. 15. = ibi = Ego sum Raphael Angelus unus ex SEPTEM qui adstamus ante Dominum.* *Apo-cal. cap. 1. v. 4. = ibi = Joannes septem Ecclesiis quae sunt in Asia. Gratia vobis, et pax ab eo qui est et qui erat, et qui venturus est; et a SEPTEM Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Ergo de numero nulla questio nulla dubitatio.
- 8 Neque Instituti nostri, neque mens nobis est hic quaestionem aggrediendi utrum *mystice* an *literaliter* SEPTEM illud sit accipiendum: sumatur enim quomodolibet, nostra modo haud refert, dummodo pro septem Archangelis in genere adprobetur officium et Missa prout in *summ. num. 1. 2.* Innuisse tamen et eruditionis ergo sufficere nonnullos SS. Ecclesiae Patres qui de literali illius loci sensu, et per consequens de praeciso ac determinato Archangelorum numero scripsere et intellexerunt. Hos inter eminent S. Clemens Alexandrinus *stromat. 6;* S. Hirenæus *contra Judaeos cap. 20;* S. Cyprianus *lib. de Orat. Dominica, et lib. de exortation. Martyrum,* et alii. Item Interpretes quos inter Cornelius a Lapide, Tիրինուս, Fontana discipulus et Vicarius S. Caroli Boromaei; dein Ferrariensis Episcopus, Petrus Galatinus, Salmerone, Ribera, Vasquez, Martini, Bossuet etc. etc. Immo eruditissimus P. Nicolai *in dissert. super lib. Tob. exarata* affirmat Haereticos ipsos admittere determinatum numerum septem Archangelorum Dei throno adstantium uti Tremellius, Giunius, Monasterus, Grotius, Franco David, Sucinus, et idem Beza. Haec tantum notata volumus ut quisque concludat extemplo nil novi, nil incongrui, nil conficti relate ad Archangelorum numerum in petitione inveniri:
- 9 Archangelorum quoque cultus respicit petitionis naturam. Hac super re immorari supervacaneum esset; siquidem

10 Quod vero pressius et intimius afficit hujus petitionis natura est officii et Missae, quorum in *Summar. num. 1, 2* exhibemus exempla. Licet igitur super his tantum animadvertere quod quiddam ibidem legitur nedum ex scriptura est excerptum, verum etiam ex trium Archangelorum Michaelis, Raphaelis et Gabrielis, nec non Angelorum Custodum officio et Missa transcriptum. Imo, idem esse officium, eandemque Missam quae post religiosissimum examen ex concessione alias facta, divitissime, et in multis locis recitata fuere, uti inferius patebit. Ergo ex hac etiam parte nil novi, incongrui, vel conficti notare quisque valet.

11 Relate ad petitionis iustitiam praemitimus, quod in themate illud dicendum iustum quod et legibus non adversatur, et subiecto debetur. Atqui nulla lex impedit quominus approbetur officium et Missa Septem Archangelorum. De secunda hujus assertionis parte erit sermo cum de convenientia agatur.

12 Relictis igitur civilibus et Canoniceis principiis *L. illud. 22 ff. ad Leg. Aquil. L. Nauta 5 § final. naut. et caupon.*

13 *ff. ad Leg. Aquil. L. Nauta 5 § final. naut. et caupon.* sistamus parumper in nostris legibus quae praesertim ex Benedicto XIV hunc S. Forum moderantur. Quare si totum Benedicti XIV aureum opus percurratur nunquam, et nullibi non solum non invenitur lex prohibens, verum etiam quod omnes id suadeant. Et revera non esset mehercule consentaneum ut prius Angelorum cultus statuatur, suadeatur, imperetur, et dein specialis et congruus cultus arceatur. Hinc fluit secundum. Benedictus XIV in *cap. 3. lib. 4. part. 2.* adsignat circumstantias ob quas officium et Missa concedi et possit et debeat. Haec omnes si notastro casui aptentur evidentissima exurgit petitionis iustitia. Duas tantum casui nostro applicemus circumstantias. Laudatus Pontifex ibidem num. 4. ita scribit = *Ad ipsas circumstantias nunc descendendo prima est, si vel per tempus excedens centum annos fuerit recitata Missa, et fuerit celebratum officium in honorem alicujus Servi Dei (notate alicujus Servi Dei) licet continuatio tum celebrationis tum recitationis non progressa sit usque ad tempus quo pro recitatione supplicatur; vel si per tempus notabile, sed non immemorabile nec annorum breviter liceat argumentari: si isthaec legis dispositio vigeat pro tantum Dei Servis nondum neque Beatificatis neque canonizatis, quid sentiendum de septem Archangelis qui ante Dei et Agni thronum sunt, et de quibus passim scriptura praecognita edit.*

13 Sed quod rem totam fuit in promptu habemus. Si Officium

et Missa in honorem septem Archangelorum non solum *per tempus notabile* verum etiam ultra centum annos recitata fuere, ista omnino reintegranda sunt. Atqui hoc ex historia patet. Notissimum enim est proprium septem Archangelorum sacrum circa annum 1512 primum piensissimum Sacerdotem Antonium Duca composuisse, proprium vero officium Octavianum Praeconium Archiepiscopum Panormitanum, et tam Missam quam officium recitatum fuisse usque ad castigationem Breviarii et Missalis Romani a Pio V. Pontifice Maximo jussam. In Missali Romano Venetiis apud Junctas excuso anno 1563 habetur titulus ita inscriptus = *Missae votivae quae ob devotionem a viris religiosissimis saepe dicuntur, quas inter foliis 319 et 320 extat = Missa septem angelorum spiritum astantium ante thronum Dei =*.

- 14 Praeterea illa Missa sollemniter fuit adprobata ab Cardinali Romae Legato cui absens Summus Pontifex Clemens VII omnes tribuerat facultates. Eadem insuper Missa, post religiosum duorum Theologorum examen Romae typis fuit impressa, et in lucem edita adprobante Pauli IV Vicario. Reperitur in libris typis editis Bibliothecae Vaticanae sub num. 904.
- 15 Ulterius. Simul ac, post tot tantosque praedicti Antonii Duca labores, Thermas Diocletianacas in templum conversas nonis augusti 1561 Summus Pontifex Pius IV praesentibus S. R. E. Cardinalibus, universaque Romana Curia et Populo Romano solemnem deprecationem ac Sacrificio consecravit et Mariae Virgini nec non septem Angelis dicavit, ex eodem inquam anno eadem Missa idemque officium septem Archangelorum usque ad reformationem praedictam Breviarii et Missalis Romani in eadem Ecclesia recitatum fuit. Eadem quoque Missa idemque officium Panormi ab immemorabili fuit recitatum. Ergo praesto est prima et urgentior Benedictina circumstantia ad confirmandum officium et Missam septem Archangelorum. Sed, et altera in subsidium exurgit circumstantia quae etiam per se sufficeret ad adprobationem officii et Missae septem Archangelorum. Laudatus Pontifex Benedictus XIV loc. citat. num. 6 ita pariter scribit = *Tertia circumstantia ortum ducit a qualitate cultus, qui spatio temporis immemorabilis fuit Dei Servo, sive Beato exhibitus, licet non fuerit exhibitus in specie quoad officium et Missam. Haec autem cultus qualitas desumi potest aut ex ejusdem vetusto et nobili initio, aut ex magno ejusdem cultus apparatu Rursum qualitas cultus desumi potest ex ejus propagatione = Et hic quoque mecum quisque una interrogationem finiat. Quodnam tempus nisi mundi initium, Archangelorum cultui adsignari potest? Quodnam igitur vetu-*

- stus, aut nobilius initium? Aut quae major cultus pro-
 pagatio praedicari illa potest, quae quaquaversus patet, et
 per totum orbem diffusa constat pro septem Archange-
 lis? Archangelorum cultus ab ipso Joanne indirecte
 commendatur dum in cit cap. *Apocal.* scribit . . . *gra-
 tia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat et qui ven-
 turus est: et a septem spiritibus qui in conspectu thro-
 ni ejus sunt.* Eruitur ex his quod si *Ei* qui est, qui erat,
 et qui venturus est cultus debetur, respectivus quoque de-
 betur septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt.
 Ergo Archangelorum cultu remotius tempus, nobilius ini-
 tium, major apparatus, diffusior propagatio nec inveniri
 nec praedicari potest. Ergo etiam ex hoc legis capite etiam
 si nunquam vel Missa vel officium septem Archangelo-
 rum fuisset recitatum tamen utrumque esset concedendum.
 16 Post haec omnia nemo certe erit qui animadvertet quod
 post repetitam Breviarii et Missalis Romani Archangelo-
 rum officium et Missa non amplius extarunt. Praeter enim
 quam quod ex recitatis mox Benedictinis legibus ipse si-
 bi suam quaestionem et ex multis capitibus solvet, sciat
 quoque oportet quod postea per Summum Pontificem Pi-
 um VI tam officium quam Archangelorum eadem Missa
 ad vitam fuere revocata.
- 17 Neque hodiernae petitioni obstare videatur hujus S. Fori
 reventia alias prodita. Etenim, uti superius monimus et
 hic repetere juvabit, nos haudquaquam in isdem versa-
 ri circumstantiis imo eam adamussum removeri conati su-
 mus, quae huic S. Foro dubitationem ingressit, et ad re-
 nuendum impulit. Praecedentes namque petitiones duo di-
 recte complectebantur I. nimirum et aliorum quatuor Ar-
 changelorum nominum sollemnem et agnitionem et con-
 firmationem: 2. pro omnibus cum isdem nominibus of-
 ficii et Missae adprobationem. Quisque intelligit quod si
 de hac dumtaxat secunda re actum fuisset, sacrae isthaec
 Congregatio haud petitioni renuisset, cum renuendi non so-
 lum nulla adesset ratio, verum etiam omnes ad annuen-
 dum allicerent. Sed cum ad nauseam, inopportune et prae-
 cipue urgeretur ad aliorum quatuor nominum confirmat-
 ionem, de quibus nulla certitudo, nullaque aderat neces-
 sitas, vel utilitas hinc repetitis hujusmodi petitionibus, re-
 petite abnuit.
- 18 Sed jam sensim sine sensu ad tertium propositum gra-
 dum fecimus, super quo desumpta materia ex laudato
 Benedicto XIV tom. 10. lib. 4 part. cap. 30 num. 11,
 12, 13. ita ratiocinamur: certum exploratumque ex scri-
 ptura habemus 1. septem esse Angelus qui adsistant an-
 te Dominum: 2. ex his tres propriis nominibus esse
 insignitos qui sunt Michael, Raphael, et Gabriel. 3. un-
 dequaque constare, et praesertim ex Benedicto XIV loc.
 cit. horum trium Missam et officium concessum fuisse,

et recitari : 4. Idem dicendum de Angelis Custodibus in genere quin de aliquo, vel de alicujus praeciso ac determinato nomine fiat mentio : pressius 5. cuique imo patet in Portugalliae Regno, aliisque ditionibus Regi illi vel Reginae subjectis recitari officium in honorem Angeli Custodis (ignoti nominis) Regni illius ex concessione Sixti Papae V. De concessione hac fit mentio in Decreto Sacrae Congregationis edito die 21. Februarii 1604.

- 19 Si igitur Missa et officium S. Archangeli Michaelis die 29 Septembris per Summi Pontificis Clementis X jussum ex Decreto edito die 18. Septembris 1670. et die 8 Maji in commemorationem hujus Archangeli apparitionis in Monte Gargano in universa Ecclesia celebretur : Si in honorem S. Gabrielis Archangeli die 18 Martii vel 1. Aprilis et hic Romae, et in universa fere Ecclesia et in omnibus fere Hispaniarum Ecclesiis et praesertim in Toletana, Oveten. Oxomen. Caurien, Calceaten. Pacen. et in Ordinibus S. Jacobi, S. Hieronymi, SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, S. Francisci de Paula et in toto ordine S. Francisci, nec non in omnibus regionibus Hispaniarum Regi subjectis officium recitetur adprobante et concedente Viterbii Leone X. Si pariter Ejus festum celebretur etiam Bononiae, et Messanae nec non in nostro Collegio Gregoriano ordinis S. Benedicti Congregationis de Propaganda Fide consociato die 6 Maji fiat commemoratio.

- 20 Si in honorem S. Archangeli Raphaelis officium et Missa recitetur tum in Urbe tum in universa fere Ecclesia die 24 octobris et praesertim in ordine B. Mariae de Mercede, in civitate Venetiarum ab utroque Clero Saeculari, et Regulari juxta Decretum S. Congregationis editum die 21. Novembris 1671; in omnibus regionibus Hispaniarum Regi vel Reginae subjectis, uti habetur ex Decreto edito die 22. Maji 1683. profecto non video cur ad ceteros Archangelos Missam et officium extendi non debeat cum petitionis natura ex una parte minime obstet, ex altera justum, conveniens, pium, et laudabile sit? Nonne amplius verum ad tramites *L. illud ad ff. ad L. Aquiliam, L. Nauta §. final. ff. naut. et Caupon. = quod facit vulgaris regula, quod ubi par ratio, eadem debet esse juris dispositio? = Et Rota Dec. 77. num. 18. part. 10. Recent. = ibi = Ita similiter de iisdem intelligi debet ob unitatem rationis ad regulam Textus in Leg. jam hoc jure ff. de vulg. et pupill. subst. Decis. 230 num. 21 part. 12. Recent. = ibi = Ex vulgaris juris regula, quod ubi militat eadem ratio, uniformis locum habet legis dispositio = ex adductis per August. Barbos. axioma 197. num.*

3. *Cyriac. controvers. 97 num. 12 Decis. 536 num. 180.*

part. 14. Recent.

21 Plura quam par esset pro themate forsan in medium protulimus quae tamen rem requirere autumavimus.

22 Re igitur, licet summam, undequaque tamen enucleata, perpensa et librata relate ad ipsius naturam, justitiam, et convenientiam nil aliud mihi est reliquum nisi ut orem obtestorque Vos PP. AA. ut Pientissimi ac Serenissimi utriusque Siciliae Regis Ferdinandi II universi quoque sui populi ardentia vota deprementis humilimas benigne excipiatis preces confirmando officium et Missam septem Archangelorum recitandam et celebrandam in universa Ecclesia, sin minus in toto utriusque Siciliae Regno sub ritu Dupl. 2. Class. Quare etc.

FRANCISCUS MORSILLI SACRI CONSISTORII ADV.

JOSEPHUS SAVARESE

REVISA

Petrus Minetti Sac. Congreg. Adv. S. R. C. Assess. Sac. Fidei Subpromotor.



Dominica secunda post Pascha

IN FESTO

SS. SEPTEM ANGELORUM

URBIS PANORMI PATRONORUM

DUPLEX SECUNDAE CLASSIS

AD VESPERAS

Num. 1

Antiph. In illo tempore cum reliquis de Laudib. bandum sive con-
Psalm. Dixit Dominus cum reliquis de Dominica, firmandum.
Officium adpro-
gentes.
et loco ult. Psalm. Laudate Dominum omnes

Capitulum Apoc. 1. 4

Gratia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.

HYMNUS

Te splendor, et virtus Patris,
Te vita, Jesu, cordium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudamus inter Angelos.

Tibi mille densa millium
Ducum corona militat:

Sed explicat Victor Crucem
Michael salutis Signifer.

Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducemque cum rebellibus
Caelesti ab arce fulminat.

Contra ducem superbiae
Sequamur hunc nos Principem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis corona gloriae.

Deo Patri sit gloria,
 Et filio, qui a mortuis
 Surrexit, ac Paraclito
 In sempiterna saecula. Amen.

ᵛ. Stetit Angelus juxta aram templi. Alleluja.
 ℞. Habens thuribulum aureum in manu sua. Alleluja.

AD MAGNIFICAT

Antiph. De throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua, et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem Spiritus Dei. Alleluja. *Apoc.* 4. 5.

ORATIO

1 *Petri* 1. 12 et 2 *Petri* 1. 16

Deus, in quem desiderant Angeli prospicere, te supplices exoramus, ut Sanctorum septem Angelorum, ante thronum Majestatis tuae perpetuo adstantium, patrociniis adjuti, voluntatem tuam impensius exequentes, cum iisdem speculatores magnitudinis gloriae tuae effici mereamur. Per Dominum.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Angelorum Dominum * Venite adoremus. Alleluja. *Psalm.* Venite exultemus.
Hymnus. Te splendor ut supra in *Vesperis*.

IN PRIMO NOCTURNO

Antiph. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram. Allel. *Zachar.* 4. 10.
Psalm. Domine Dominus noster.
Psalm. In Domino confido. *Psalm.* Domine quis habitabit *ex festo S. Michaelis*.
 ᵛ. Stetit Angelus juxta aram templi. Allel.
 ℞. Habens thuribulum aureum in manu sua. Alleluja.

Ex libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli

Lectio 1 *Apoc.* 4, 1

Post haec vidi et ecce ostium apertum in caelo, et

vox prima, quam audivi tamquam tubae loquentis mecum, dicens: Ascende huc, et ostendam tibi, quae oportet fieri post haec. Et statim fui in Spiritu: et ecce sedes posita erat in caelo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinae. Et in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor: et super thronos viginti quatuor seniores circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronae aureae. Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua, et septem lampades ardentes ante thronum, quia sunt septem Spiritus Dei.

¶ Unus de septem Angelis sustulit me in spiritu in montem magnum, et altum * Et ostendit mihi Civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de caelo a Deo. Alleluja.

¶ Et habebat mensuram arundineam auream; ut metiretur Civitatem, et portas ejus, et murum. Et ostendit. *Apoc. 21. 10 et 15.*

Lectio II Apoc. 8. 1

Factum est silentium in caelo quasi media hora, et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: et datae sunt illis septem tubae. Et alius Angelus venit, et stetit ante Altare, habens thuribulum aureum, et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Et accepit Angelus thuribulum, et implevit illud de igne Altaris, et misit in terram, et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terrae motus magnus. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, praeparaverunt se ut tuba canerent.

¶ In medio septem candelabrorum aureorum vidi similem filio hominis, vestitum podere, et habebat in dextra sua stellas septem * Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. Alleluja.

¶ Et dixit mihi Sacramentum septem stellarum, quas in dextra mea vidi, septem Angeli sunt. Et facies. *Apoc. 1, 13.*

Lectio III Apoc. 1. 15

Et vidi aliud signum in caelo magnum, et mirabili-

le: Angelos septem, habentes plagas septem novissimas: Quoniam in illis consummata est ira Dei. Et vidi tamquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysis Servi Dei, et canticum agni, dicentes: Magna, et mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens. Justae et verae sunt viae tuae Rex saeculorum. Quia non timebit te Domine, et magnificabit nomen tuum; quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo; quoniam judicia tua manifesta sunt. Et post haec vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in caelo: et exierunt septem Angeli, habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, et candido, et praecinti circa pectora zonis aureis.

- R). Angeli stabant in circuitu throni, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas * Et adoraverunt Deum. Alleluja, Alleluja.
- ψ. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro. Et adoraverunt. Gloria Patri. Et adoraverunt. *Apoc.* 7. 11.

IN II NOCTURNO

Antiph. In diebus vocis septimi angeli, cum coeperit tubam canere, consummabitur mysterium Dei. Alleluja. *Apoc.* 10. 7.

Psalm. Caeli enarrant. *Psalm.* Domini est terra.

Psalm. Benedicam Dominum, *ex festo S. Michaelis.*

ψ. Ascendit fumes eromatum in conspectu Domini. Alleluja.

R). De manu Angeli. Alleluja.

Sermo S. Gregorii Papae

Lectio IV Hom. 34 in Evang.

Angelorum vocabulum nomen est officii non naturae. Nam sancti illi coelestis patriae spiritus, semper quidem sunt Spiritus sed semper vocari Angeli nequaquam possunt: quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nunciantur. Unde et per Psalmistam dicitur: Qui facit Angelos suos spiritus. Ac si patenter dicat: Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, Angelos facit. Hi autem, qui minima nunciant, An-

Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei Fortitudo nominatur; illum quippe nunciare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis appa-

Lectio VI.

ces suas. Et levavit. *Apoc.* 10. 1.
 4. Et cum clamasset locuta sunt septem tonitrua vocem ad caelum. Alleluia, Alleluia.
 3. Vidi Angelum fortem, amictum nube, et iris in capite eius, et facies eius erat ut sol, et pedes eius tamquam columnae ignis * Et levavit manuum suam per superbiam nullus exurgat.
 Item peremptus discat: quia ad Dei similitudinem praetium cum Michael Archangelo: ut qui ad Dei similitudinem superbus se extulerat, per Michael perhibetur, sicut per Joannem dicitur: Factum est mendus, cum Michael Archangelo praehaturus esse in sua virtute relinquatur extremo supplicio peribum, similis ero Altissimo: dum in fine mundi ribus aquilonis, ascendam super altitudinem nivium meam, sedebo in monte testamento, in latecaelum consendam, super astra caeli exaltabo soesse per superbiam similis concupivit, dicens. In valet Deus. Unde et ille antiquus hostis, qui Deo telligi; quia nullus potest facere, quod facere praet perhibetur; ut et ipso actu, et nomine detur in quotes mirae virtutis aliquid agitur, Michael mititudo Dei: Raphael vero dicitur Medicina Dei. Et Michael, namque, Quis ut Deus: Gabriel autem Fortitudo Dei: Raphael vero dicitur Medicina Dei. Et quotes mirae virtutis aliquid agitur, Michael mititudo Dei: Raphael vero dicitur Medicina Dei. Et

Lectio V.

Agno. Accipere. *Apoc.* 5. 12.
 4. Benedictio, honor, et gloria sedenti in throno, et tiam. Alleluia.
 3. Audivi vocem Angelorum in circuitu throni dicens: Dignus est Agnus qui occisus est * Accipere Virtutem, et Divinitatem, et Sapientiam. Alleluia.
 2. Benedictio, honor, et gloria sedenti in throno, et tiam. Alleluia.
 1. Audivi vocem Angelorum in circuitu throni dicens: Dignus est Agnus qui occisus est * Accipere Virtutem, et Divinitatem, et Sapientiam. Alleluia.
 4. Benedictio, honor, et gloria sedenti in throno, et tiam. Alleluia.
 3. Audivi vocem Angelorum in circuitu throni dicens: Dignus est Agnus qui occisus est * Accipere Virtutem, et Divinitatem, et Sapientiam. Alleluia.
 2. Benedictio, honor, et gloria sedenti in throno, et tiam. Alleluia.
 1. Audivi vocem Angelorum in circuitu throni dicens: Dignus est Agnus qui occisus est * Accipere Virtutem, et Divinitatem, et Sapientiam. Alleluia.

rere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur: Tollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae. Quis est iste Rex Gloriae. Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio. Et rursus, Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. Per Dei ergo Fortitudinem nunciandus erat, qui virtutum Dominus et potens in praelio, contra potestates aereas ad bella veniebat. Raphael quoque interpretatur ut diximus, Medicina Dei: quia videlicet, dum Tobiae oculos quasi per officium curationis tetigit, caectitatis eius tenebras tersit. Qui ergo ad curandum mittitur: dignum, videlicet, fuit ut Dei Medicina vocaretur.

- ✓. Unus de septem Angelis ostendit mihi fluvium aquae vitae, procedentem de sede Dei, et Agni * Et ex utraque parte fluminis lignum vitae, Alleluja * Et folia ligni ad sanitatem gentium. Alleluja.
- ℞. Et omne maledictum non erit amplius, sed sedes Dei et Agni in illa erunt: et servi eius servient illi. Et ex utraque. Gloria Patri. Et folia. *Apoc.* 21, 9, et 22, 1.

IN III. NOCTURNO

Antiph. Vox de throno exivit. Laudem dicite Deo nostro, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiae Agni. Alleluja. *Apoc.* 19. 5.

Psal. Cantate Dominum canticum novum. *Psal.* Dominus regnavit, exultet terra. *Psal.* Benedic. anima mea Domino, et omnia, *ex festo S. Michaelis.*

- ✓. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. Alleluja.
- ℞. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Alleluja.

Lectio Sancti Evangelii Secundum Lucam

Lectio VII Lucae 1

In illo tempore: Cum Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suae ante Deum. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedae
Praesbyteri

in Evangel. Lucae cap. 1.

Apparuit autem illi Angelus, stans a dextris Altaris

Et respondens Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizare. Vult intelligi, quod si homo talia promitteret, impune signum flagitare liceret: at cum Angelus promittat, iam dubitari non deceat. Datque signum, quod rogatur; ut qui discredendo locutus est, iam tacendo credere discat. * Ubi notandum, quod Angelus se, et ante Deum adstare, et evangelizandum Zachariam missum esse testatur. Quia et cum ad nos veniunt Angeli, sic exterius implent ministerium, ut tamen nunquam desint interior per contemplationem. Et mittuntur igitur, et adstant; quia et si circumscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse, qui Deus est, circumscriptus non est. Angeli itaque, et missi ante ipsum sunt, quia quolibet missi veniunt, intra ipsum currunt.

¶ *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum, et ea, quae sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant, et clamabant alter ad alterum. * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Alleluja. * Plena est omnis terra maiestate eius. Alleluja.*

¶ *Et commota sunt superminaria cardinum a voce clamantis. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Gloria Patri, Plena est. Isajae 6. 1.*

Lectio VIII

incensi. Bene Angelus, et in templo, et iuxta Altare, et a dextris apparet; quia videlicet, et veritate, et coelestis doni gaudium praedicat. Nam, sicut per sinistram praesentia, sic per dexteram saepe bona pronunciantur aeterna. Juxta quod insipientiae laude canitur. Longitudo dierum in dextera eius, in sinistra illius divitiae, et gloriae.

¶ *Septimus Angelus tubam cecinit, et factae sunt voces magnae in caelo dicentes: Factum est regnum Domini nostri, et Christi eius * Et regnabit in saecula saeculorum. Alleluja.*

¶ *Et seniores, qui in conspectu Dei sedent, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum. Et regnabit. Apoc. 11. 15*

Lectio IX

De Homilia Dominicae

Quod si hoc officium transferri contigerit ad diem, qua nulla occurrat nona lectio, tunc lectio octava praecedens dividatur, et ex ea fiant duae, octava, scilicet, et nona. Signum tamen illud ✠ lectionem secat, notatque finem octavae, et initium nonae lectionis.

AD LAUDES, ET PER HORAS

Antiph. In illo tempore consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui. Alleluja. *Daniel.* 12. 1.

Psalm. Dominus regnavit . cum reliquis de Dominica.

Antiph. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te. Alleluja. *Lucae* 1. 19.

Psalm. Jubilate Deo.

Antiph. Ego sum Raphael Angelus unus ex septem, qui astamus ante Dominum. Alleluja. *Tob.* 12. 15.

Psalm. Deus, Deus meus.

Antiph. Angeli stabant in circuitu throni, dicentes. Benedictio, et claritas, virtus, et fortitudo Deo nostro. Alleluja. *Apoc.* 7. 11.

Cantic. Benedicite omnia opera.

Antiph. Factum est silentium in caelo, et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei. Alleluja. *Apoc.* 8. 1.

Psalm. Laudate Dominum de caelis.

Capitulum Apoc. 1: 4

Gratia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est: et a Septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.

HYMNUS

Christe, sanctorum decus Angelorum
Gentis humanae Sator, et Redemptor,
Caelitum nobis tribuas beatas
Scandere Sedes

Antiph. Ego sum Gabriel.
Capitul Gratia vobis.
 ⁊. *br.* Stetit Angelus iuxta aram templi * Alleluja,
 Alleluja. Stetit.
 ⁊. Habens thuribulum aureum in manu sua. Allelu-
 ja. Gloria Patri. Stetit.
 ⁊. Ascendit fumus aromaticum in conspectu Domini.
 Alleluja.
 ⁊. De manu Angeli. Alleluja.

AD TERTIAM

Deus, in quem desiderant Angeli prospicere, te sup-
 plices exoramus, ut Sanctorum septem Angelorum,
 ante thronum Majestatis tuae perpetuo adstantium,
 patrociniis adjuti, voluntatem tuam impensius exe-
 quentes, cum iisdem speculatores magnitudinis glo-
 riae tuae effici mereamur. Per Dominum.

ORATIO

Antiph. Unus de septem Angelis locutus est mecum,
 dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam uxorem,
 Agni. Alleluja, Alleluja. *Apoc.* 21. 9.

AD BENEDICTUS

Angelus Pacis Michael in aedes
 Caelitus nostras veniat: Serenae
 Auctor ut pacis lacrymosa in orcum
 Bella releget.
 Angelus fortis Gabriel, ut hostes
 Pellat antiquos, et amica caelo,
 Quae triumphatur statuit per orbem,
 Tempa revisat.
 Angelus nostrae medicus salutis
 Adsit e caelo Raphael, ut omnes
 Sanet aegrotos, dubiosque vitae
 Dirigat actus.
 Virgo dux pacis, Genitrixque lucis,
 Et sacer nobis chorus Angelorum
 Semper assistat, et micantis
 Regiae caeli.
 Praestet hoc nobis Deitas beata
 Patris, ac Nati, pariterque Sancti
 Spiritus, cujus resonat per omnem.
 Gloria mundum. Amen.
 ⁊. Stetit Angelus iuxta aram templi. Alleluja.
 ⁊. Habens thuribulum aureum in manu sua. Al-
 leluja.

AD SEXTAM

Antiph. Ego sum Raphael.

Capitulum. Apoc. . 6.

Vidi in medio throni Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei.

℞. *br.* Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. Alleluja. Ascendit.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. Alleluja.

℞. Adorabo ad templum Sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Alleluja.

AD NONAM

Antiph. Factum est silentium.

Capitulum. Apoc. 15. 6.

Exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, et candido, et praecincti circa pectora zonis aureis.

℞. *br.* In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus * Alleluja. Alleluja. In conspectu.

℣. Adorabo ad templum Sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Alleluja. Alleluja. Gloria Patri. In conspectu.

℣. Adorate Deum, Alleluja.

℞. Omnes Angeli ejus. Alleluja.

AD SECUNDAS VESPERAS

Antiph. In illo tempore. *Cum reliquis de Laudibus. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi. Psalm.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo; quoniam audisti.

Capitulum. Gratia vobis.

Hymnus. Te splendor ut supra ex I Vesper.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. Alleluja.

℞. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Alleluja.

Antiph. Unus de septem Angelis ostendit mihi fluvium aquae vitae, splendidum tamquam cristallinum, procedentem de sede Dei, et Agni: Alleluja, Alleluja. *Apoc.* 21. 9. et 22. 1.

Si contingat officium hoc recitari post tempus Paschale, dicitur, ut jacet, demptis tamen cunctis Alleluja: sed et ad singulos nocturnos adjungantur aliae duae Antiphonae, ut sequitur.

IN PRIMO NOCTURNO

Antiph. Qui facit Angelos suos Spiritus, et Ministros suos ignem urentem. *Psal.* 103. 4.

Antiph. Laudemus Dominum Deum, in quem desiderant Angeli prospicere. 1. *Petri* 1. 12.

IN SECUNDO NOCTURNO

Antiph. Vox de throno exivit. Laudem dicite Deo nostro, quia venerunt nuptiae Agni. *Apoc.* 19. 5.

Antiph. Angelus, qui stabat in conspectu Dei, dixit mihi: Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt. *Apoc.* 19. 9.

IN TERTIO NOCTURNO

Antiph. Apertum est templum Dei in caelo ad vocem septimi Angeli, et visa est arca testamenti ejus. *Apoc.* 11. 19.

Antiph. Adorate Deum omnes Angeli ejus, audivit, et laetata est Sion. *Psal.* 96. 8.

Officium hoc Sanctorum Septem Angelorum, eorumdem Missa propria pro omnibus Ecclesiasticis Saecularibus, et Regularibus Urbis, et Dioecesi Panormitana approbatum est, et ab eisdem quot annis Dominica secunda post Pascha sub ritu duplicis secundae classis recitari debet, ut legitur in tabulis Curiae, Archiepiscopalis sub die 19 Augusti MDCCCLXXII.

Dominica secunda post Pascha

IN FESTO

SANCTORUM SEPTEM ANGELORUM



MISSA

INTROITUS. *Apoc.* 7. 11.

Num. 2.
Missæ adproban-
da sive confir-
manda.

Angeli stabant in circuitu throni, Alleluja: et ceci-
derunt in conspectu throni in facies suas, Alleluja,
et adoraverunt Deum, Alleluja, Alleluja.

Psalm. 148 Laudate Dominum de caelis, lau-
date eum in excelsis.

Gloria Patri.

ORATIO

1 *Petri.* 1. 12. et 2 *Petri* 1. 16.

Deus, in quem desiderant, Angeli prospicere, te
supplices exoramus, ut Sanctorum septem Angelo-
rum, ante thronum Majestatis tuæ perpetuo ad-
stantium, patrociniis adjuti, voluntatem tuam im-
pensis exequentes, cum iisdem speculatores ma-
gnitudinis gloriæ tuæ effici mereamur. Per Do-
minum.

Lectio Libri Apocalypsis
B. Joannis Apostoli.

Apoc. 8.

Factum est silentium in Cælo quasi media hora. Et
vidi septem Angelos, stantes in conspectu Dei, et
datae sunt illis septem tubæ. Et alius Angelus
venit, et stetit ante Altare, habens thuribulum
aureum: et data sunt illi incensa multa, ut daret
de orationibus Sanctorum omnium super Altare
aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit
fumus incensorum de orationibus Sanctorum de
manu Angeli coram Deo. Et accepit Angelus thu-
ribulum, et implevit illud de igne Altaris, et mi-
sit in terram, et facta sunt tonitrua, et voces, et
fulgura, et terraemotus magnus. Et septem Ange-

II, qui habebant septem tubas, praeparaverunt se, ut tuba canerent.
Alleluja, Alleluja.

Apoc. 5. 6. Vidi in medio throni Agnum stantem, tamquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei Alleluja:

Et venit et accepit de dextra sedentis in throno librum. Alleluja.

Graduale extra tempus Paschale Apoc. 21. 15. Unus de septem Angelis, qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur Civitatem, et portas ejus, et murum. Alleluja, Alleluja.

Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quae est Angeli. Alleluja.

Post Septuagesimam omnis Alleluja. etc: & seq: dicitur Tractus Zaccar. 4. Angelus, qui loquebatur in me, dixit ad me: Quid tu vides.

Et dixi: Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ejus et septem lucernae ejus super illud: et septem infusoria lucernis, quae erant super caput ejus.
& Factum est verbum Domini ad me dicens: Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.

✱ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.
Luc. 1. 8

In illo tempore: Cum Sacerdoto fungeretur Zacharias in ordine vicis suae ante Deum, secundum rias in ordine vicis suae ante Deum, ut incensum poneret ingressus ad templum Domini. Et omnis multitudo populi erat foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris Altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? Ego enim, sum senex, et uxor mea proccessit in diebus suis. Et respondens Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te et haec tibi evangelizare. Credo

Offertorium. Apoc. 15. 5.

Apertum est templum tabernaculi testimonii in caelo, et exierunt septem Angeli, vestiti lino mundo, et candido, et praecinti circa pectora zonis aureis. Alleluja.

SECRETA

Sacrificium quod tibi offerimus, quaesumus Domine, in conspectu Divinae Majestatis tuae per manus Sanctorum septem Angelorum, tamquam fumus aromatum cum odore suavitatis ascendat. Per Dominum.

Comunio. Apoc. 22

Unus de septem Angelis ostendit mihi fluvium aquae vitae procedentem de Sede Dei, et Agni. Alleluja.

Post Communio

Agni caelestis, quo pasti sumus, quaesumus omnipotens Deus, ita nos carni uniamur, et sanguini, ut plena immortalitate donati, ante ejus thronum cum septem Angelis aeternis canticis perfruamur. Per eundem Dominum.

Si contingat haec Missa celebrari extra tempus Paschale, dicitur ut jacet, demptis solis. Alleluja. Sed post Epistolam omissis versibus, et Alleluja temporis Paschalis, dicitur Graduale, vel etiam Tractus, ut ibi notatur.

In missis votivis Sanctorum septem Angelorum dicitur praecedens Missa juxta praemissam Rubricam, in quibus tum privatis, tum solemnibus semper dici debet. Gloria in excelsis, et dimissa prima Oratione legitur sequens Oratione: quae etiam dicitur in Officio. et Missa diei octavae eorumdem Festi.

ORATIO

Psalm 103. 4 et Psal: 118. 32.

Deus qui facis Angelos tuos Spiritus, et Ministros tuos flammam urentem; tribue, quaesumus, ita nos illo charitatis tuae igne, quo septem Principes

Spiritus, ante thronum tuum adstantes exardescunt,
accendi; ut mandatorum tuorum viam currentes,
eorumdem consortio in aeterna beatitudine perfru
mereamur. Per Dominum.

FINIS

PAVORMI Typis Francisci Valenza, Sanctissimae
Cruciatae Impressoris : 1772

REVISA

PETRUS MINETTI SAC. CONS. ADV. S.R.C. ASSESS. ET
S. FIDEI SUB-PROMOTOR.